Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



zizania: et igni comburuntur: sic erit in consumacione seculi. Mittet filius hominis angelos suos: et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui facium iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc iusti ~~ardebunt~~ fulgebunt sicut sol: in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat. Fria vi lcio epistole

Omnis qui credit quoniam ihesus est christus: ex deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit: diligit et eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos dei: cum deum diligamus et mandata eius faciamus. Hec est enim caritas dei: ut mandata eius custodiamus: et mandata eius gravia non sunt: quoniam quoque quod natum est ex deo vincit mundum. Sed:

Ant. Interrogatus ihesus a discipulis suis de consumacione seculi: dixit eis. Cum videritis abhominacionem desolacionis que dicta est ~~a dicta est~~ a daniele propheta: stantem in loco sancto qui legit intelligat: tunc qui in iudea sunt fugiant ad montes: et qui tecto in non descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam. Ve autem pregnantibus et nutrientibus in illis diebus. Orate autem: ut non fiat fuga vestra hyeme uel sabbato. Erit enim tunc tribulacio magna: qualis non fuit ab initio mundi usque modo neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi: non fieret salua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit: ecce hic christus aut ecce illic nolite credere. Surgent enim pseudo christi et pseu